DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES STARK,

Britannus,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVIII.

ROBERTO STARK, M. D.

FRATRI ET AMICO,

HANC DISSERTATIONEM

DICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Auctore JOANNE STARK.

RHEUMATISMUS Acutus a CULLENO, viro clarissimo, sic definitur: "Morbus ab externa, et "plerumque evidente causa; pyrexia; dolor "circa articulos, musculorum tractum sequens, "genua et reliquos majores, potius quam pe"dum, vel manuum articulos, infestans, calore "externo auctus."

HISTORIA MORBI.

Rheumatismus acutus eos qui in regionibus frigidis habitant, sæpissime aggreditur; et illis tempestatibus quando magnæ subitæque cœli mutationes occurrunt, præsertim accidit.

In regionibus autem calidis raro se ostendit. Sæpius se ostendit tempore verno et autumno, rarius æstate et hyeme; sed nullum sibi proprium tempus habet. Sanissimos quidem homines sæpe corripit, et utrumque sexum, frequentius autem muliebrem.

Nullum temperamentum ab ejus impetu vacat; plethoricos tamen et hypochondriacos plerumque aggreditur; senes et pueriles raro morbo plectuntur, homines vero a pubertate ad annum vitæ trigesimum quintum, vel etiam quadragesimum, plerumque infestat.

Rheumatismus

Rheumatismus solitis pyrexiæ signis plerumque incipit. Æger primo lassitudine et languore afficitur, corporis extremitates pallescunt et torpent. Sensus frigoris secundum spinam dorsi descendit, et tandem cum horrore ad reliquum corpus propagatur: brevi sequitur stadium calidum, et omnia pyrexiæ regularis signa; sitis scilicet, calor, anxietas, et inquietudo, superveniunt; lingua sit admodum calida, admodum et colorem albidam induit; pulsus jam frequens, plenus ac durus, respiratio difficilis est; modo vertigo, modo dolor capitis supervenit, facies turgida et oculorum sensilitas exquisita febrisque signa noctu ingravescunt. Cum signa pyrexiæ diem unum alterumve præstiterint, variæ corporis partes præsertim articuli majores, humeri, scilicet, genua, et haud raro carpi, dolore acuto afficiuntur; manus, pedes atque digiti, raro patiuntur. Hi dolores nonnunquam unam partem occupant, sæpius autem ab uno ad alterum articulum, musculorum cursum sequentes, migrant, et calore externo, et musculorum exercitatione, haud leviter augentur.

Pyrexia

Pyrexia plerumque repetit omni die; tempore vespertino accessiones, de die in diem, accrescunt; præcipue sub nocte ægrum cruciat. Artubus aliquandiu dolore affectis superveniunt tumor ruborque, et pars dolens omnia phlegmones genuinæ indicia exhibet. Hic morbus raro crisi solvitur, sudor licet ab initio interdum adfuerit; hæc autem exinanitio nec copiosa est, nec in totum corpus, nec in articulos affectos qui arida ac rigida manent, defunditur, nec dolores eodem levantur. Urina parca et colorata, initio nullum sedimenti deponit, sub finem vero sedimentum lateritium demittitur. Sanguis emissus et jam coiens, superficiem coriaceam albam ostendit, et sæpe firmiorem; alvus astricta.

Quamvis inflammatio violenta partis cujusdam adsit, hic morbus rarissime suppuratione, nunquam forsan gangræna vel scirrho, terminatur; plerumque resolutione finitur. Aliquando in vaginas tendinum effunditur liquor glutinosus, pellucidus, qui sensu fluctuationis stipatur, quæ percipienda est; sæpissime tamen

men resorbetur. Illustris. STORCKE exempla multa suppuratione terminata se vidisse affirmat; abscessus tamen aliquid peculiare habuisse videntur. Rheumatismus Acutus in Chronicum sæpe desinit: præsertim cum neglectus, vel male curatus sit, interdum sed rarius, in Paralysin transit.

CAUSÆ REMOTÆ.

HÆ causæ, in Prædisponentes, et Occasionales vel Excitantes, a medicis dividuntur; et claris. GREGORIUS, in elegantissimo suo libro de Medicina Theoretica, eas sic describit: "Causa Prædisponens est illa quæ corpus tantum opportunum reddit, scilicet, ut admota causa excitante in morbum incidat. Causa Occasionalis vel Excitans est ea quæ in corpore jam proclivi facto morbum excitat."

Causæ prædisponentes Rheumatismi Acuti variæ sunt.—Homines sanguineo atque pleno corporis

corporis habitu præditos, sæpius adoritur. Hoc, temperamentum scilicet plenum, inducunt otiosum vitæ genus, diæta lautior atque nutriens, somnus nimis protractus, evacuationes solitæ suppressæ, ut perspirationis et mensium; unde mulieres sæpius quam viri hoc morbo afficiuntur. Huc pertinet sanguinis periodica detractio omissa, vel profluvia solita cessantia. Libido omniaque ea quæ corpus debilitant, homines ad hunc morbum magis proclives reddunt. Præter has causas, morbis acutis corpore debilitato vel irritabili supervenientibus, rheumatismo obnoxium sæpe redditur.

Causæ excitantes.—Caloris et frigoris vicissitudines subitæ et frequentes; hinc vere et autumno potissimum grassatur, ac in regionibus fervidis rarissime invenitur. Frigoris corporis applicatio, præsertim si sit diuturna, vel humiditate conjuncta, ut in vestimentis madidis, &c. aut si corpus ipsum, eodem tempore, sit plus solito calidum.

CAUSA PROXIMA.

Ut definiunt scriptores medici, est illa quæ præsens morbum facit, sublata tollit, mutata mutat: "Causæ proximæ omnium fere morborum in "atra caligine immerguntur." Hic morbus ortum ducere videtur ex inflammatione quorundam articulorum partium. Quare vero ab aliis inflammationibus ex frigore differt, an ligamenta vel quæ partes afficiantur, et quare, sicut aliæ inflammationes nec in suppurationem, vel gangrænam abeat, non nobis est dicere.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Morbus affinis accurate secernere, summi quidem in medicinæ usu momenti est. Morbi præcipue quibus rheumatismus intermisceri potest, sunt Podagra, Syphilis et Scorbutus. Rheumatismo acuto maximam similitudinem habet Podagra; si autem ægrotantium historia et signa utriusque affectionis propria, rite perpendentur, hi morbi, præsertim quando indicia adsunt quibus exquisite insigniuntur, facile a se invicem dignosci queunt.

Rheumatismus ab externa et plerumque evidente causa, frigore, nempe et humiditate, oritur; contra, partium internarum præcipue ventriculi, quædam affectiones, ut concoctio prava, flatus, eructationes acidæ, aliquando insipidæ, cum variis functionum debilitatarum signis, morbum articularem præcedunt. Hæc paroxysmo accedente evanescunt, et vigor insolitus functionibus

functionibus universis diffunditur, tonusque totius systematis multum adaugetur. Temperamentum plethoricum rheumatismo præcipue obnoxium est, et homines eo vitæ stadio, in quo omnes functiones, tam animales quam vitales, summo vigore fruuntur, hic morbus adoritur. Podagra, contra, homines sanguineo temperamento præditos, vel qui annum ætatis trigesimum non præterierunt, raro adoritur.

Sexus amabilis antequam cessent catamenia, et eunuchi, a podagra, maxima ex parte, immunes sunt: Porro est morbus hæreditarius; rheumatismus autem vix unquam. Illa mares sæpius quam fœminas; hic sexum muliebrem (secundum cl. Home) potius corripit. Rheumatismus artus majores, rarissime minores, et superiores sæpius quam inferiores; podagra, contra, minores inferioresque occupat.

Rheumatismus a Syphilitide, sequentia observando facile dignosci potest: in hac enim dolores in media ossium longorum, et cranii, parte,

præcipue sentiuntur; sunt plerumque vagi; nullum autem definitum redeundi tempus observant: sunt magis fixi quam dolores in rheumatismo, neque ulla pyrexia comitatur. In rheumatismo autem dolores, ut supra posuimus, musculorum ligamenta, et aponeuroses tendineas circa articulos, tantum afficiunt, et sæpe tactu levissimo asperantur, quod nunquam in syphilitide observatur. Porro, in syphilitide cranii ossa sæpe tentantur, et nonnunquam exostoses adsunt: Hæc autem nunquam rheumatismum comitantur: Insuper, si bubones, ulcera tonsillarum aut cutis, præsertim, si maculæ coloris cuprei ad capillitii margine dolores antecedunt, aut comitantur aut subsequuntur, facile de dolorum origine judicari poterimus.

Quod ad Scorbutum attinet, plerumque claram distinctionem facere possumus, gingivæ spongiosæ, laxæ, exulceratæ, nudatæque epidermide, ex minima pressura, sanguinem effundentes, anima fœtida, maculæ in variis partibus

corporis,

corporis, crebræ hæmorrhagiæ: signa scorbuto communia quæque autem cuncta, satis a signis rheumatismi discrepant.

PROGNOSIS.

Rheumatismum Acutum raro lethalem esse, experientia satis docet: exempla tamen fuerunt, quæ hunc morbum interdum exitium afferre, plane ostendunt: sed hæc aliquo alio morbo immedicabili; phthisi nempe, typho, vel aliis affectionibus periculosis, stipata sunt. Rheumatismus Acutus medicamentis non facile cedit; et quum negligatur, vel imperite tractetur, in Chronicum sæpe desinit, anchylosin, vel paralysin immedicabilem. Quidam rheumatismum aliquando infestare pulmonem, vel caput, atque sic ægrum protinus de medio tolli, affirmant; superveniente apoplexia, vel pneumonia; sed hæc exempla infausta, potius ad podagram pertinere videntur. Rheumatismus accedens facile supprimitur; sed per longum tempus

tempus indies ingravescit, præsertim, si æger multum debilitatus, et morbus diu productus, fuerit; quibus in exemplis, sententiam de morbi eventu, ferre cavendum est. Cum hominem ætatis florentis, vel alioquin sanum adoriatur, prognosis fausta, idoneis medicaminibus initio morbi administratis.

RATIO MEDENDI.

Cum ab omnibus concedatur, Rheumatismum Acutum e statu corporis phlogistico pendere, consilium medendi primum manifestum apparet, viz. corporis calorem auctum tollere, actionemque immodicam cordis et arteriarum lenire, et præcipue sanguinis impetum in partibus dolentibus minuere.

Regimen antiphlogisticum hoc diligenter adhibendum est; cibus ex regno animali petitus, qui magis minusve alcalescens, et stimulans est nequaquam adhibendus; in cujus locum subeat diæta

vegetabilis;

vegetabilis; latices omnes, aromaticæ, spirituosæ, et fermentatæ, vitandæ sunt, et decoctum avenaceum, decoctum hordeaceum solummodo concedendæ. Nunc si febris satis fortis est, cum pulsu duro, aut plenitudine oppresso, dolores summi et vagabundi, si ægrotus succo plenus et robustus, tunc venæsectio, sat largo vulnere suscepta, pro re nata, et si opus sit repetita, optimum est auxilium; aut si cucurbituli ad loca ab inflammatione rheumatica libera adhibeantur, curatio accelerabitur; quo citius in initio morbi missus fuerit sanguis, eo major effectus observatur, cruoris massæ plenitudo, oppressio vasorum; spasmi calorque mitigantur, functioque cutis promovetur; verum enimvero cavendum est, ne nimis venæsectioni credamus, vel ne quibus morbus forte parceret, eos creduliter scalpello trucidamus; semper igitur considerandus est habitus viresque ægroti, docet enim experientia, si nimia quantitas hujus liquoris ad vitam adeo necessarii detracta est, quod haud raro superveniant hujusce morbi chronica summa debilitas hydropsque. Interim non des-

perandum

perandum est, quoniam tale auxilium habemus, quod si non omni exemplo idoneum, tamen si apte adhibeatur, fere ad promovendam perficiendamque curationem valebit.

Purgatio alvi, quippe quæ corpus violenter deplet, primo intuitu quam maxime convenire videtur; sed propter magnum dolorem motu concitatum, non bene respondet: eodem tempore necesse est alvum modice solutam servare, ut nullum irritationis ab indurato stercore in recto oriatur. Hoc facile præstabunt enemata refrigerantia, sales neutrales, modica quantitate sumpti, manna, pulpa tamarindorum, cassia et similia.

Diathesi phlogistica sublata aut saltem minuta, animus ad secundum medendi consilium, spasmum nempe vasorum extremorum tollere, adverti debet. Hoc consilio, omnia fere medicamenta sudorifica, diversis temporibus adhibita fuerunt. Tamen medicamentis minime stimulantibus moveatur, et hoc tempore quam minimum caloris excitetur. Remedium tutissimum, et efficacissimum, est pulvis ipecacuanhæ

anhæ compositus; dosi gr. x. vel xii. administratus, et si opus fuerit tertia quaque hora repetendus, donec sudor profluxerit. Medicamentum sic administratum nauseam raro movet, et fere semper fomentis eodem tempore applicatus ad extrema inferiora, causæ relaxandæ optatum effectum habet. Sudore provocato jalapii salini ℥ i. tertia quaque hora, vel haustus diaphoreticus, cum aliquanto tincturæ opii, omni nocte data, si necesse sit, ad sudorem movendum, et dolores levandos, conferunt. Hoc modo sudor viginti quatuor horas, pro re nata, servari potest; verum quamdiu servandus sit, ab ægri circumstantiis multum pendet: detur pulvis mannæ quoniam et ægrotus, et eum curantes, nocte in somnum incedere solent, adeo ut potio ei rite suppeditare nequeat, sine qua sudor frustra provocatur: sudore fluente injurantur diluentia omnia, præsertim quæ minime stimulant: tegatur æger indusio laneo. Cum vis diatheseos phlogisticæ aliquatenus sublata est, sine ulla periculi specie, illud contra rheumatismum præstantissimum remedium cinchonæ officinalis

cortex,

cortex, tutissime adhiberi potest. Ne minime latet medicorum haud paucorum timor ad hujus remedii usum, dummodo pyrexia premat: de hac re tamen timorem omnino vanum esse credimus; pericula quoque, et per plurimos annos experientia, Doctoris HAYGARTH, atque clarissimi HAMILTON praxis in Nosocomio Edinensi, hujus sententiæ veritatem aliunde probarunt. Persuasum habeo, non solum omni periculo vacare, sed pyrexiam quoque leviorem reddere, atque pessimis rheumatismi acuti effectibus, articulorum nimirum debilitati, rigiditati et paralysi, quæ haud raro ex evacuationibus profluunt, feliciter occurrere. Cæterum in decursu rheumatismi, quum debilitas, insensibilitas, rigiditas, quasi partialem mortem in vivente corpore efficerunt; tunc adhibenda sunt irritamenta tam externe quam interne olea essentialia, terebinthinæ, cajeputæ, camphoræ cum opio, lignum pro decocto et resina guajaci, raphanus rusticanus, &c. nonnunquam profuerunt. Extrinsecus autem adjuvanda est, vis insita vasorum per lavationes frigidas, deinde

vero

vero per frictiones panno laneo, vapore cum aromatico penetrato, in graviore insensibilitatis gradu inflammatio artificialis in parte affecta excitanda est, nempe per frictionem, vel tinctura cantharidum, per urticationem, vel thermalis aquæ ex alto cadentis usum, galvanismus, levisque etiam electricitas, exitu felici adhibita sunt.

FINIS.